

A N N O T A T I O .

Diversus est noster Joannes ab altero Joanne S. R. E. Diacono, qui à Sigeberto in Catal. cap. 106. laudatur, & Anastasio S.R.E. Bibliothecario familiaris fuit, qui etiam sub anno 874. Libros quatuor de Vita S. Gregorii Magni Papæ edidit, gestaque Clementis Papæ scriptit, qua MSS. habentur in Casin. Biblioth. Vide Vossium de hist. Lat. in Joanne Diacono, malèque propterea nonnulli opificia eorum confundunt inter se, dum ex duobus unum faciunt.

C A P U T X X X I X .

D E P E T R O .

Petrus Diaconus institutor meus declamator insignis, è Civitate Theanensi, de qua oriundus erat, egrediens, Casinum advénit, abque Oderisio Abbatte Monachus factus est. Scriptit præterea in eodem Cœnobio positus, sermonem de Septuaginta: de Dedicazione Ecclesiæ: de Nativitate Domini: de Epiphania, & alios quamplurimos.

Clariuit circa annum Domini MLXXX.

C A P U T X L .

D E L A N D E N U L P H O .

Landenulphus parvulus in Casino sub Desiderio Abbatte Beato Benedicto oblatus: ac in divinis scripturis plenissimè doctus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, de renovatione Casinensis Cœnobii, seu Archisterii, ac regimine Desiderii versus mirificos fecit, quos idem Desiderius Abbas in circuitu Capituli, & Claustris describi præcepit.

Vivebat Anno MLX.

C A P U T X L I .

D E G U I D O N E .

Guido Casinensis Presbyter, vir in humana eruditione clarissimus, religione, & vita probatissimus, scripsit historiam Henrici Imperatoris, visionem Alberici Monachi Casinensis; versus de fortuna ejusdem . . . præterea quæ in historia Casinensi deerant, à temporibus scilicet Oderisii primi usque ad hunc diem, adjunxit.

A N N O T A T I O .

Vivebat Guido tempore Girardi Abbatis Casinensis anno Domini 1111. inter elegansissimos scriptores sua tempestate præcipuus. Viffo Alberici, de qua supradicta in Alberico Diacon. Cardin. penes nos extat MS. tali lemmitate: *Quia nonnulli veritatem mendacio obumbrare consueverunt*. Summatim vero descripta à nostro Petro legitur in Chron. Casin. lib. 4. cap. 68. edit. Venetæ his verbis: *Hujus tempore (ideft Girardi Abbatis, qui sedid ab anno 1111. usque ad 1123.) in Campania provincia insigne miraculum & antiquis per omnia simile contigit. Namque in castro Sanctorum septem Fratrum, Albericus quidam nobilis puer cum decimum agerat atatis annum, morbo corruptus ad extrema perductus est. Quo tempore diebus novem, & totidem noctibus immobilis, ac sine sensu quasi mortuus jacuit; hoc autem intervallo à Beato Petro Apostolo, duobusque Angelis per loca panarum deductus ad infernale barathrum devenerit. Demum ad Paradisum amena delatus, vidit Sanctorum mansiones, atque in Cœlum sublevatus aëreum, & à Beato Petro Apostolo sufficienter eductus de veteri testamento, de peccatorum pœnis, gloriaque Sanctorum, vidit arcana quedam, que loqui prohibitus est: sicque per Septuaginta duas provincias ab eodem Apostolo deductus, vite redditus est. Hujus visionem qui cupit agnoscere, à Guidone hujus Monasterii Monacho descriptam, legat. Nos eam, quia per ora omnium vertitur, hic scribere omisimus. Ex hinc Albericus ipse, relictis seculi pompis, Casinense Cœnobium petiit, atque à Patre Girardo gratissimo affectu suscepit, accepto sancta conversationis habitu, Christo Regi militiam professus. Tanta vero (hodieque) abstinentia, tanta pollet gravitate morum, ut & peccatorum inspexisse panas, & Sanctorum gloriam vidisse nemo est qui dubitet. Nam ex illo tempore nequa carnes aliquando gustavit, neque vinum biberit: nudisque semper incessit pedibus: atque in hac afflictione corporis, cordisque contritione, & humilitate nunc usque (anno 1115.) in Casinensi hoc Monasterio permanet, ut multa illa, quæ alios latent, vel metuenda, vel desideranda vidiisse, etiam si lingua taceat, vita loquatur. Hucusque Petrus. Historia Henrici nescio quo infortunio nondum lucem viderit, dum hi, qui de rebus Henrici IV. & V. conscriperunt, de Guidone silentium altum habuerunt.*

C A P U T X L I I .

D E R O B O A .

Roboas Diaconus, parvulus in Casino à Girardo Abbatte suscepit, scripsit rogatu quorundam amicorum suorum sermones de totius anni festivitatibus, ac Vitam S. Confessoris Christi Leonardi.

Clariuit Roboas, sive Noboas Anno MCXX.